

## DE LIENIS AFFECTIONIBVS:

cum rhabarbaro, bizantinus, & de radicibus. E-  
vacuatio quinetiam per halitum conuenit, quæ  
guidem fieri debet cum rebus aperiéribus & re-  
soluentibus, vt olea sunt, & balnea præsertim Pa-  
tauina. Pro corroborando hepate, extrinsecus  
maxime conuenit in hoc affectu frigido huius  
partis oleum de spica & de absinthio, & confe-  
ctiones habentes vim corroborandi. Vtile etiam  
erit ægroto in curando affectu, si singulis septi-  
manis vtetur pillulis de hiera & rhabar. idque vt  
tollantur obstructions, & interdum cassia cum B  
rhabarbaro.

## CONSILIVM CCLIIL

*Pro nobili, cui hepar inflatum, & ventri-  
culus debilitatus erat.*

 **V**IDAM nobilis à quibusdam rei medi-  
cæ imperitis persuasus, maluaticum ni-  
mium hausit, ac in vindemia vinum ni-  
grum, vtpote fretus hoc consilio, vt im-  
becillitas ventriculi, quæ ex frigiditate ortum ha-  
bebat, corrigeretur: cumque ad potum vini for-  
tioris ætas calidior accessisset, inflatum est  
illi hepar, cuius demum intemperatura multò  
maiorem ventriculo imbecillitatem conciliauit.  
Nam cùm actiones hæ sint ventriculi, appetere  
cibum, ingestum retinere & concoquere: duæ e-  
ius partes sunt: superior, quæ nimirum appetit,  
siccior ac frigior: inferior verò calidior & hu-  
midior. At verò caliditas nimia hepatis exiccat hu-  
midum, cum quo calor dissoluitur: nulla est con-  
coctio, nec appetentia cibi vlla, ob ventriculum  
calefactū nimis. Quid ex his prognosticandum?  
Corporis imbecillitas: quia ventriculus non con-  
coquit, sed corrumpuntur verius omnia, quare  
vomitus frequens: & quia obstructum hepar, atq;  
etiam supercalefactum, nulla est in corpore san-  
guificatio. Calefactio hepatis & obstructio tollen-  
da esset missione sanguinis, à qua abstinentum  
est propter virium imbecillitatem, ne magis pro-  
sternantur. Quare diæta ventriculus corroboran-  
dus, & ministrandi cibi pauci, & facilis coctionis.  
Interdico illi vino omni, nisi austero. Decoctum  
endiuimæ bibat, nam omnia cichoracea confortan-  
do ventriculo apprimè sunt vtilia. Dico autem  
cichoracea, endiuimæ, sonchon, & si quæ sunt alia  
id genus: nam quia amara, ideo sunt calida: cale-  
faciunt igitur & confortant, & leniter etiam refri-  
gerant. Quare syrupum de cichorea cum rosato  
ordinavi. Confortato ventriculo, totoq; adeo  
corpo, accedam ad infrigitationem hepatis,  
quæ fiet per phlebotomiā basilicæ dextri lateris.

## CONSILIVM CCLIIL

*Processus Montani in cura cachetici seu ad hy-  
dropisim dispositi.*

 **T**TENDAM V s primò symptomata  
in hoc adolescenti, & percurramus  
per istos sex scopos à Galeno nobis  
traditos. Actio lœsa apparet in coctione  
distributione & nutritione. Secundò, tumo-

A rem videmus. Tertiò accidentia, color plus iusto  
albus, non viuidus percipitur. Quarto, dolor in  
hypochôdriis sentitur. Quinto, qualitas mutata  
deprehenditur. Exeuntia, non duin vidimus ege-  
stiones, sputum, vrinam. Habet hic adolescens  
intemperiem frigidâ hepatis, videlicet eam con-  
tractam ex pororum cutis obstructione, cùm hu-  
mi cubaret: quare facile potuerunt fieri obstruc-  
tiones, cruditates, malæ coctiones, malæ distri-  
butiones & sanguificationes nō satis commodæ.  
Spiritibus intrinsecis contingit idē quod extrin-  
secis, quod crassentur infrigidi. Habet etiam  
catarrhum, qui occupauit tracheam, quare per  
tussim sputum reicit. Et pars circa cor est magis  
tumida, quod mirum est, fortassis propter mate-  
riam frigidam ibi collectam: & sentit aliquam  
tensionem circa hypochondria. Tumefactio de-  
pendet à frigiditate. Obseruâda igitur hæc sunt.

Tumefactio faciei, pedum, thoracis pendet ex  
frigiditate hepatis.

**C** Hæ ex frigiditate totius habitus.

Ille ex obstructione pororum cutis.

Ista ex humi cubatione, & fortè etiâ inordina-  
to regimine: adde etiam catarrhum frigidum nō  
parum ad morbum facere.

**D** Cura erit per calefacentia, aperientia & corro-  
borantia hepar. Corroboramus hepar, quum ad  
temperaturam suam reducimus. Est autem frigi-  
dum & humidum: ergo cù calidis & siccis occur-  
remus. Dabimus itaque intrinsecus qui aperiunt  
& euacuant, & corroborant etiam. Exterius præ-  
paremus linimenta, & frictiones ad eundem v-  
sum. Extrahemus malum, & adducemus alimen-  
tum commodum.

**E** Prognosticum. Scribit Cornelius Celsus in ca-  
pite de hydrope, contentionem subortam inter  
duos Medicos de Cura cuiusdam hydropici: al-  
ter enim negabat eum posse curari, alter affir-  
mabat: tandem cùm is qui affirmârat, satis eui-  
dentes rationes curæ attulisset, respondet alter:

Mihi satis placent rationes tuæ, sed dic mihi,  
curabis ne hominem, qui vult edere & bibere  
quantum vult, & minus obtemperare Medicos?  
Ego (inquit) ad animum respicio, ille ad mor-  
bum. Ita ego facio Prognosticum. Si obtem-  
perauerit hic patiens, poterit sanitati pristinæ  
restitui.

**F** Sed quomodo incipiems curam? Dandum  
erit quod communes materias euacuet, & mihi  
summè placeret hiera in forma electuarij: audio  
autem datas pillulas aggregatiuas. Vos perpe-  
tuò hoc habeatis in memoria, vt quotiescumque  
aut febres curaueritis, aut obstructions in cor-  
pore inueneritis, caueatur ab iis quæ adstringunt,  
sicut sunt pillulae aggregatiuæ: nam intrant my-  
robalani, rhabarbari cum aloë. Sed dices in hie-  
ra, quam offers, etiam intrat aloë. Respondeo.  
Verum esse, sed tamen corrigitur ab aliis ingredi-  
entibus, cinnamomo, azaro, carpobalsamo, pro-  
quo ego vtor cubebis, quia carpobalsamum nūc  
G non habetur.

**G** Dicam vobis historiam. Quidam Medicus de-  
dit nobili cuidam pillulas aggregatiuas, & nihil  
eduxerunt: ego superueniens, consului vt acci-

*Pro Carpobal.  
Sana Cubebæ  
sumenda.*

*Historia*